

*nostro merito, iustitiam nobis confert. In hunc modum Paulus iustitiam fidei definit, quod in Legis obseruatione non consistat.*

*De traditionibus humanis.*

*Annotatio, Traditiones humanæ vitæ, Rom. 16. c. 17. Quales sunt, Coloss. 2. b. 8. Hominum mandata docens, frustra Deum colit, Matth. 15. a. 8.*

*Censura, Vtraque harum propositionum indistincte posita, schismatica est & hæretica.*

*Annotatio, Mortui sumus cum Christo ab elementis & regulis huius mundi, nec amplius his sumus obnoxii, ne permittamus nobis traditiones dari, quibus præcipiatur, Ne tetigeris, ne gustaueris hoc hoc, Colos. 2. d. 21.*

*Censura, Hæc annotatio pro hac parte, Ne permittamus nobis traditiones dari, sic vniuersaliter posita, est schismatica & erronea.*

*Tres locos recensent, duos tantum damnant, nisi fortè eorum grāmatica Vtrūque tam pro tribus aut quatuor, quàm pro duobus vsurpat.*